



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

SS. Ananias, Azarias, Misael. 16. Decembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

nostram voluit. Ibi in lectulo servili collocata sanitatem extemplo & vires recepit, quas frustra in regiiis stragulis suspiraverat. Ut verò grata Numini foret, auctor esse conjugii regi coepit, ut Christo se dederet, cui morbi & mors ipsa jam parerent. Ille moris moras necebat, dum inter venandum iratos & caelos & ventos expertus, & in ultimum vitæ periculum devolutus, opem Christi præsentem ipse etiam sensit. Tum verò templum Deo posuit, in quo Diva hæc columnam, cum viribus nullis posset, precibus erexit, suspensamque in aère tam diu servavit, dum spectantibus omnibus suoapte motu in locum suum desideret. Atque in hoc templo primas Christo Iberi aras, pectora sua devoverunt. Gere castrum, & templum Salomonæo præstantius erexisti. *Ex Socrate & Theodor.*

SS. ANANIAS, AZARIAS,
MISAEEL. 16. Decembris.

A Page vetus Roma cum foculo suo oculos mitte, & superari à pueris Hebræis viros tuos specta. Tres erant (ANANIAM, AZARIAM, MISAELEM dixerunt) principes juventutis interque ephebos Regis Nabuchodonosoris accensi. Hic in eâ aetate formæ gratiam & senem in pueris sapientiam
ania-

amabat; at DEVS amplius quid, virginem animum & à regia mensa delitiis abstinentem. Ita de adolescentum amore Rex magnus & Max. DEVS certarunt. Quid n̄ hic vinceret? Fortè statuam posuit Nabuchodonosor, auream illam, sed superstitione infamem. Facile erat aliis persuadere, ut aurum adorarent, in quo omnis aetas delirat. Vni ex omnibus hi pueri sapuerunt, disertis verbis distitantes Regem se, ut par est, veneraturos, ceterum DEVM solum adoraturos, & ante morti animam quam statuae genua submissuros. Stabat fornax validè flammans: In hãc abijciuntur nobiles animæ. Inhorruit ad facinus ignis & vim à virtute venerabundus repressit, quin impetu potius in hostes facto longè plurimos corripuit & succidaneas victimas cremavit. Angelus etiam è cælo submissus flammam beato rore temperabat, lenique aurâ demulcebat juvenes magnanimos. Ergo inter hæc supplicia cantare etiam placuit, & quò plenior foret musica, cælum terrasque animare. Iamque Nabuchodonosor ipse innocentiam patrono igne sanctam absolvit, miraculi que toto regno per literas præco, divinum honorem rectè homo Numini transcripsit. *Ex Daniele.*